

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
QVA  
**MELCHISEDECVM**  
**MESSIAE TYPVM**

*Ebr. VII. 1.-10.*

PRAESIDE  
VIRO EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO  
**ANDREA GEORGIO WAEHNERO**

*Linguar. Or. P. P. O.*

PRAECEPTORE ET HOSPITE SVO EA QVA PAR EST  
ANIMI OBSERVANTIA COLENDO

D. XX. FEBR. MDCCXXXV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SISTET

*AVCTOR RESPONDENS*

**IOANNES HENRICVS TODE**

*Zoltenspikero - Lubeca - Hamburgensis,*

*S. S. Theol. Cultor.*



Coll. diss. A  
229, 27

GOTTINGAE,

APVD . A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

58

— — —

*St. J. A. 29(27)*



*S. R. Imperii  
Reipublicae Hamburgensis Senatui  
Splendidissimo*

*Viris Illustribus Magnificis Consultissimis Amplissi-  
mis Prudentissimis Spectatissimis Grauissimis  
Dominis Consulibus*

MARTINO LVCAE SCHEELE I. V. D.

CORNELIO POPPE

CONRADO WIDOW I. V. L.

NICOLAO STAMPEEL I. V. D.

*Dominis Syndicis*

IOANNI IVLIO SVRLAND I. V. L.

IOANNI SCHLVETER I. V. D.

IOANNI KLEFEKER I. V. L.

CLEMENTI SAMVELI LIPSTORP I. V. L.

*Dominis Senatoribus*

IOACHIMO COLDORF  
BARTHOLDO HENRICO BROCKES I. V. L.  
ALBERTO RODRIGO ANKELMANN  
LVDOLPHO OTTE  
RVDOLPHO AMSINK  
PAVLO JENISCH  
LVCAE VON SPREKELSEN I. V. D.  
JORGE JENQVEL  
LVGAE CORTHVM I. V. L.  
ALBERTO SCHVLTE  
MARTINO HIERONYMO SCHEELE I. V. D.  
VINCENTIO RVMPF I. V. D.  
IACOBO LANGERMANN I. V. L.  
IOANNI IOACHIMO BOETEFEVR  
RVDOLPHO BERENBERG



HIERONYMO HENRICO KENZLER

IOACHIMO RENTZEL I. v. L.

NICOLAO SCHV BAK I. v. L.

HERMANNO RIEKE

CHRISTIANO DRESKY I. v. D.

PETRO GREVE

FRIEDERICO ALBERTO ANKELMANN I. v. D.

IOANNI HENRICO SIMON I. v. D.

NICOLAO HINSCH

*Dominis Secretariis*

NICOLAO LVCAE SCHAFFSHAVSEN I. v. D. &  
Protonotario.

FRANCISCO von SOMM Archiuario.

DIEDERICO DE DOBBELER I. v. L.

WOLDERO SCHEELE I. v. L.

PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS  
STRENVIS RELIGIONIS PROPVGNATORIBVS  
LIBERTATIS DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS  
TRANQVILLITATIS PVBLICAE IVRIS ET IVSTITIAE  
STATORIBVS ET DEFENSORIBVS  
M A E C E N A T I B V S M A X I M I S  
OMNIVM SCIENTIARVM PROMOTORIBVS  
D O M I N I S A C P A T R O N I S S V I S  
SVMMMAE PIETATIS CVLTV PROSEQVENDIS  
PERENNEM FELICITATEM  
SALVTEM PVBLICAM SALVBERRIMIS SAPIENTISSIONISQVE  
IPSORVM CONSILIIS FELICITER RESPONDENTEM  
DEVOTA MENTE PRECATVR  
ACADEMICASQVE HASCE SVAS  
D E M E L C H I S E D E C O  
PRIMITIAS  
SVBMISSA OBSERVANTIA

D. D. D.

IOANNES HENRICVS TODE  
Zollenspiker - Lubeca - Hamburgensis  
S. S. Th. C.



## §. I.

**N**on contemnendum *Abrahāmi laudibus* pondus addit, *bellum*, quod *aduersus Syros* suscepit *reges* a). Summam eius pietatem facit testatam, quae sola illum movit, ut *Lotum* ex fratre nepotem, officiorum sibi patruo debitorum, aliquando non satis memorem, ex hostium, qui illum captiuum abduxerant, eriperet manibus. Insignem eius confirmat *fidem*, qui manu exigua, magno tamen animo, bellum cum quatuor regibus quinque aliorum victoribus, renovare non dubitaret, certam sibi a Deo pollicitus victoriam. Docet denique, eum dignum fuisse, cui a Chittaeis nomen שָׁרֵל, *principis magni*, ita enim cum philologorum optimis verba interpretamur, tribueretur. Reuersum iam ab ista hostium clade *conuiuio excipit* obuius ei factus Melchisedecus. Quoniam ex verbis, quibus Moses hanc rem commemorat, non satis constat; num sacrum fuerit conuiuum, non definimus. Silentio autem prætereunda nobis haud est *figurata* *Judeorum* huius *conviuii explicatio*. Fercula, non quae corpus, sed quae animum recrearent, Abrahamo adposita fuisse putant.

Dicunt

a) Genes. XIV.

Dicunt enim , Melchisedecum Abrahamo pontificis functiones , sanctissimamque de summo numine exposuisse doctrinam. Ipsorum verba audiamus b):

הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון ר' שמואל בר נחמן ורבנן ר' שמואל אמר הלכות כהונת גROLDE גלה לו לחם זה לחם הפנים-יוין אלו הנכונים : ורבנן אמרו תורדה גלה לו שנאמר

לכו לחמו בלחמי ושתו בינו מסכתי (Adverba) Produxit panem & vinum ; fuitque ille pontifex Dei supremi , R. Samuel Nachmanides & doctores nostri (hunc in modum commentantur.) R. Samuel dixit : Functiones pontificales ipsi exposuit. Quippe panis panes propositionis significat ; & vinum , libamina. Doctores autem nostri dicunt : Legem ipsi explicuit. Quemadmodum (Proverb. IX, 5. ) dicitur : Venite , comedite panem meum , & bibite vinum , quod miscui. Durante isto conuiuio , vti videatur , epinicum in Abrahami laudes cani iussit Melchisedecus. Dicit Moses : id est , laudes eius enarravit , & bene illi est precatus. Epinicii verba idem subiungit : ברוך אברהם לאל עליון קנדָה שמיִם וארץ Eadem , qua adhuc , felicitate summum numen , caelorum & terrae dominus , porro beare pergit Abrahamum . Verbis , אל עליון קנדָה שמיִם וארץ Deus summus caeli teraque dominus , declarat , Abrahamum non immerito omnem victoriae spem in Dei auxilio posuisse. Oh concessam Abrahamo victoriam Deum porro concelebrat , וברוך אל עליון אשר מני צריד ביריך Debitaque summo numini persoluantur gratiae , qui tuos hostes tibi in manus compegit . Num paucis hisce verbis , iteratis vicibus ad concentum musicum recitandis , totum con-

b) Breschith rabba , par. 43. fol. 47, 3.

constiterit epinicum; an Moses non nisi breve eiusdem dederit argumentum, non nostrum est disquirere. Contra ea Abrahamus ex praeda decimas dedit Melchisedeco. Ex sacri Geneseos scriptoris verbis videre non licet, vter alteri dederit. Quin suspicari ex illis possis, Melehisedecum dedisse Abrahamo. In antecedentibus enim de Melchisedeco fuerat sermo; nec, dum ad historiam de datis decimis pergitur, *nominatiuus*, quo diuersa persona indicetur, adiungitur. *לְזַהֲנָר מִכֶּל* *Deditque illi decimas de omnibus!* Id quod saepe apud scriptores sacros fieri, si vel haud mediocris exinde oriatur obscuritas, ut *de qua persona loquantur sit hariolandum*, ex hoc loco disce. Quare totius connexionis sollicite semper habenda est ratio. Sed extra dubium posita res est. Iudaei, *Abrahamum decimas dedisse*, contendunt; quibuscum & Paulus facit c). Idem Paulus nos docet d), Abrahamum Melchisedeco dedisse decimas ἐκ τῶν ἀρπαζίων, de praeda; cum Moses dicat אכל; quod de omnibus Abrahami bonis interpretari possis. Quod per ἀρπαζία manubiarum primitiae diis sacrae intelligantur, demonstrandi labore merito supersedemus, cum id per alios recte sit praestitum e). Quemnam vero in finem Abrahamus Melchisedeco decimas dedit? Respondeas forsitan, vt sumitus, quos conuiuio impenderat, quodam modo compensarentur. Quod quidem non negabimus. Credibile tamen nobis est,

reue-

c) Ebr. VII, 2.

d) v. 4.

e) Vid. excitatos in *Io. Christ. Wolfi* Curis philolog. crit. ad h. l.

reuerentiae erga summum numen illiusque pontificem Melchisedecum maxime testandae causa id ab Abrahamo fuisse factum. Id enim Paulus urget.

### §. II.

Quisnam  
fuerit  
Melchi-  
sedecus.

In officium & personam Melchisedeci inquisituris ad Mosen, qui primus eius fecit mentionem, est recurrendum. Hic Melchisedecum, מלך שלם, Regem Salemi, adpellat. Cuiusnam vero Salemi? Num forsan illius, quod in finibus Iissascharitidis Jordani esset adpositum f). Iter Abrahami id nobis perluadere posse videatur. Qui hunc vero excipit paragraphus docabit, Salenum iudeis esse Hierosolymam, quae eodem interdum nomine venit. In quo & nos lubentius acquiescimus, quo minus hoc in iis est, quae nos scire, aut nostra aut aliorum multum intersit. Hac de re dubios nos relinquunt Paulus. Porro Moses dicit de Melchisedeco. זְהוּ כָהן לְאֱלֹהִים Quae verba duplicem cum admittant interpretandi rationem, dubitare possis, vtram earum eligas. Possis enim ea transferre: *Et erat pontifex Dei supremus*; vel, *Pontifex erat Dei supremi*. Sed non est, cur horum verborum explicatio diu nos habeat dubios, cum Paulus ea ita interpretetur: ἵεπεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίτου, Erat pontifex Dei supremi. Eodem modo *Alexandrinus* reddit. Hoc tamen non vetat, quo minus illum summum salutemus pontificem. Saepe enim fieri solet, ut כהן sine addito idem quod גּוֹלֶת, id est, pontificem maximum significet. Quare ἀρχιερέως, id est, summi pontificis nomen illi tribuit Paulus. Ad personam

f) Conf. *Hadr. Relandi Palaestina*, p. 505. 9-6. seqq. ed.  
Traiect. Batau. 1714.

nam eius quod attinet, variae variorum de ea sunt sententiae. Est *Angelus*, *Origeni g)*; *Spiritus Sanctus*, *Hieracitis h)*; *Virtus Dei ipso Christo potentior*, *Melchisedecianis i)*; *Ipse Christus*, multis *k)*; *Henochus*, *Henrico Hulsio l)*; *Chamus*, *Petro Iuriae m)*; *Cananaeus quidam*, *Clerico n)*; *Si non Semus*, *ex posteris tamen eius aliquis*, *Ludouico Borgesio o)*. Quarum sentiarum fere singulas multi sunt secuti. Plures recensere taedet coniecturas *p)*.

### §. III.

Iudeorum plerique sententiam, quod *Melchisedecius* sit *Semus*, isque iustitiae studiosissimus Hierosolymorum rex, certam esse, saltem ad veritatem pro-

Iudeis  
est Se-  
mus.

pius

- g)* vid. *Hieronymus*, Epist. 73. ad Euangelum, Opp. Tom. I. p. 439. edit. Dominici Vallarsi Veronae 1734.
- h)* vid. *Epiphanius* aduersus Haeres. haeres. 67. opp. Tom. I. p. 711. edit. Dionysii Petavii. Parisiis 1622.
- i)* vid. *Augustinus* aduers. Haeres. haeres. 34. opp. Tom. VIII. p. 9. edit. Benedictinor. Antwerp. 1700.
- k)* vid. *Epiphanius* haeres. 35. p. 474.
- l)* in peculiari libro edit. Lugd. Bat. 1707. *Augustinum Calmetum* quoque pro Henocho pugnare, *Wolfius* in Curis philolog. & crit. ad Ebr. VII. p. 761. perperam scribit. Is enim Cananaeum regem fuisse suspicatur.
- m)* *Histoire critique des dogmes & cultes part. I. c. 10.* p. 67. seqq. Amst. 1704.
- n)* *Commentar. in Genes. XIV, 18.*
- o)* *Histor. crit. Melchisedeci, cap. VI.* p. 247. seqq. citante *Io. Franc Buddeo Hist. eccl. V. T. Vol. I.* p. 267.
- p)* vid. *Io. Albert. Fabricii cod. Pseudepigr. Vet. Test. Tom. II.* p. 329. Tom. III. p. 72. seqq. *Augustini Calmeti Dissertationes & prolegomenes de l'Ecriture sainte, Tome II.* part. 2. *Disserit. 3.* p. 65-78. ed. Paris. 1720.

B 2

pius accedere, existimant. Testimonia ipsorum lustremus. Ex veteribus primum locum occupet *Targum Ionathanis* q): ומלכי צדק ומלך צדיקא הוא שם

בר נח מלכא דירושלם נפק לקרבות אברם ואפיק ליה לחים וחמר ובזהו זימנה הוא משמש קرم אלהא עילאה:

(*Ad verba*) Et Melchisedek. *Rex iustus autem, qui erat Semus, filius Noachi, rex Hierosolymorum, obuius fuit Abrahamo. Qui panem & vinum adportari iussit. Is vero illo tempore summi numinis pontificatum administrabat.* Idem fere habet *Targum Hierosolymitanum* r);

ומלכי צדק מלכא דירושלם הוא שם והוא כהן רבא רעלאה:

*Melchisedek autem, rex Hierosolymorum, qui fuit Semus, erat pontifex maximus summi numinis. Huc quoque pertinent, quae leguntur in Breschith rabba s):*

ומלכי צדק ארני צדק. צדק נקראת ירושלים שנ צדק ולין בה: מלך שלם ר' יצחק הבבלי אומר שנולר מהול:

(*Ad verba:*) Et Melchisedek. (Vt Ios. X. I.) *Adonizedek.*

*Zedek vero (i. e. iustitia,) dicitur Hierosolyma. Quemadmodum dicitur (Ez. I, 21.) Iustitia pernoctare debebat in ea.*

(*Ad verba:*) Rex Salemi (i. e. Rex perfectus.) *Rabbi Isaac Babylonius dixit, (eum ita adpellari,) quod circumcisus sit natus.* Recentiores inter *Aben Esram* t) nomi-

q) ad Genes. XIV, 18.

r) ad Genes. XIV, 18.

s) Par. 43. fol. 47, 3.

t) Commentar. ad Genes. XIV.

nominasse satis erit ; cuius haec verba sunt :  
 ומלכי צדק נקרא כי בעבור שהוא מלך על מקום צדק  
 יוא כי הוא שם ושלם היא ירושלם והעד יהיה בשלם סכו :

(*Ad verba:*) Et Melchisedek. *Ita dicitur, quia rex loci Zedek erat. Sunt, qui dicunt, fuisse Semum. Salem autem est Hierosolyma.* Id quod intelligitur ex (Ps. LXXVI, 3.) *Estque Salem tentorium eius.* Ex hisce patet, voces צדק, מלכי צדק, ludacorum nonnullos ut *adpellatiuas* interpretari, ut *regem iustitiae* significant ; horumque aliquos צדק, *iustitiae* vocabulum, de *Hierosolyma* accipere, qua in vrbe iustitiae sedes sit. Similis ratione לם nonnullis *adpellatiuum nomen est*, & *perfellum* significat ; ex eo effecturis, Melchisedecum *circumcisum esse natum.* Praeputio enim instructos pro imperfectis declarant ; non quidem propter defectum, sed propter excessum. Eiusmodi autem in explicationibus non sensum literalem dare velle Iudeos, sed allegoriis indulgere, memento.

#### §. IV.

Sententiarum de *Melchisedeci persona* si vnam pro certa poneremus, verendum nobis esset, ne a temeritatis reprehensione prope abessemus. Quae cum ita sint, cum Theologorum optimis u) statuimus, satius esse, si *ignorantium* hac in re nostram profiteri non dubitemus. Nihil nobis *absurdius* videtur illorum coniecturis, qui in *Angelo*, *Spiritu Sancto*, *Virtute Dei ipso Christo maiore*, ipsoque *Christo*, Melchisedeci personam

<sup>u)</sup> vid. Buddei Hist. Eccl. V. T. Vol. I. p. 268.

sonam quaerunt. Moses enim *vt hominem*, eumque *regem*, describit, Melchisedecum; qui Abrahamo de reportata victoria gratulatus, cum conuiuio exceperit cum exercitu, ab eoque decimis sit donatus. *Christum* per Mariam hominem esse natum, certum est. Sed quod *ante hanc suam natiuitatem vt hominem se umquam conspiciendum praebuerit*, tam *incertum*, *vt fidem prorsus non mereatur*. Nec maiorem veri speciem *prae se fert illa opinio*, quod *Henoch* in terram redditurus coelo descenderit. Quid enim inter mortales illis, qui semel immortalitatem sunt consecuti? Pro *Chamo* quidem hoc argumenti proferri possit; Melchisedecum fuisse *regem in Palaestina*. Sed quis demonstravit, Cananaeos Palaestinam incoluisse solos? A quibus ne *Pherisaei* quidem, qui tamen eiusdem regionis incolae erant, orti videantur *w).* Ita comparata est tota de Melchisedeco historia, *vt nemo minorem* pientissimi *Melchisedeci* *prae se ferat speciem quam impius Chamus*, vel *posteriorum illius aliquis*; quorum plerique patre & proauo non fuerint meliores. Qua ratione, quae*so*, summus istorum temporum ad hos peruenit pontificatus? Et num imaginari tibi possis, in bene precando Abrahamo hos futuros fuisse tam negotiosos? Illosne decimis honorauerit *Abrahamus?* Sententia vero, quod *Semus Melchisedek* sit, eiusmodi est, *vt, nisi certa sit, vero tamen esse simillimam* demonstratos nos confidamus. Praeter eum neminem mortalium proferri posse, in quem ea,  
quae

*w)* Quia 1) Gen. X, 15-18. in Cananaeis coloniis non numerantur Pheritaei. 2) Cananaeis nonnumquam, *vt diuersi*, ad latus ponuntur. E. g. Gen. XIII, 7.

quae Moses, Dauid & maxime Paulus de Melchisēdeco dicunt, singula rectius dici potuerint, ex deinceps dicendis adparebit. Quod vt suis locis rectius docere possimus, ad sequentia attendendum nobis iam erit momenta. 1) *Semum incolam Palaestinae*, in que ea regem magnum esse potuisse, idque eo maiore cum verosimilitudinis specie, quod Noachus eum Cananaeorum declarauit dominum *x*), neminem in dubium vocaturum confidimus. 2) Non illud nobis sumimus, vt annum definiamus, quo *Abrahamus Syros bello superauit reges*. Sufficit, *Paulum* *y*) nos docere, hoc ante *Isaacum natum esse factum*. Iam vix vitio nobis vertetur, vt portentosam *Alexandrini chronologiam* susque deque feramus; secundum quam fieri non potest, vt *Melchisedecus idem sit qui Semus*; cuni iuxta hunc calculum inter eius mortem & Abrahamum natum 730. anni intercesserint. Secundum *Iudeorum* vero nostrumque *calculum* falsa pro *Semo* res est. Prooui eius, si solum Noachum patrem excipias, omnes, iam ante diluvium rebus humanis erant erepti. Ipseque *Noachus*, secundum *calculum Iudeorum*, anno 48. *Abrahāmi*, ideoque ante diuinam eius vocationem inque Palaestinam accessum, morte iam erat defunctus. Ex iis, qui ante diluvium lucem adspexerant, *Semus*, non tempore huius belli tantummodo, sed 35. etiam annos post obitum *Abrahāmi*, solus superstes fuisse traditur. Secundum nostram autem, quae noui foederis auctoritate nititur, *chronologiam*, *Noachus* bienio ante *Abrahāmi* nativitatem viuendi fecit finem; &

*Semus*

*x*) Gen. IX, 26.

*y*) Ebr. VII, 10.

*Semus quidem 25. annis ante, quam Abrahamus de vita  
decederet, attamen 50. demum ab Isaaco nato, diem  
obiit supremum. 3) Eamdem, quam in Melchise-  
deco pietatem, etiam in Semo conspicimus; quam  
pater eius laetus laudat, dicens: בָּרוּךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ שֶׁם,  
*Laudatus sit Dominus Deus Semi*, hoc est, quem *Semus*  
*pie colit.* 4) Largiamur, *Semum Noachi primogeni-  
tum non fuisse.* Quia natu maximus anno aetatis  
Noachi 500. z); *Semus vero demum 502. in vitam*  
*editus fuit; id quod Arphaxadi nos docet nativita-  
tis annus a).* At vero *primogeniturae iura Semo Noa-  
chus tribuisse videatur.* Saltem extra omnem du-  
bitationem est positum, *magnam ei prae Iapheto, na-  
tu, vti videtur, maximo, praerogatiuam a patre esse*  
*concessam, dicente b): יְפַת אֱלֹהִים לַיְפַת וַיֵּשְׁכַן בְּאַهֲלֵי שֶׁם*  
*Deus dilatet Iaphetum, & sedes ipsi in tabernaculis Semi  
concedat.* 5) Licet in medio relinquamus, num *sum-  
mi pontificis munus cum primogenitura tum temporis*  
*fuerit coniunctum; ex iis tamen, quae modo dixi-  
mus, facile colligatur, summi pontificis dignitatem*  
*maiore iure competuisse nemini, quam Semo.* 6)  
Iisdemque de causis credere fas est, quos inter de-  
gebat homines, *Semum ut dominum, regemque suum*  
*esse veneratos.**

### §. V.

Messias  
cum  
Melchi-  
sedeo  
compara-  
tur in  
Psalmo  
CX.

Equidem non ab eorum stamus partibus, qui  
effata, quae ex veteris foederis monumentis, in no-  
uo

z) Genes. V, 32.

a) conf. Genes. VII, II. XI, 10.

b) Genes. IX, 27.

uo citantur, omnia, vt *vaticinia de Christo* vel noui foederis tempore interpretanda esse temere credunt; nulla difficultatum, in quas incurront, & quibus tollendis pares esse non possunt, habita ratione. Cum *Luther* potius aliisque *Theologis cordatis* statuimus, *quibusdam adplicationibus*, more *Judeorum factis*, *locum esse relinquendum*. *Ex connexione igitur & scopo scribentium*, cum reliquis effati tum excitati tum excitantis *circumstantiis*, veram *adlegationem ab adplicatione distinguendam esse arbitramur*. *Psalmus autem CX.* nihil continet, quod secundum *sensum literalem de Messia* explicari nequeat. Ad hunc totum istum *Psalmum* tendere, *ipse Christus nos diserte docet bb*). Quis enim argumento eius, *Judeos conuicturi*, *Messiam supra nudi hominis sortem esse euectum*, neruus ac vis probandi inesset, nisi hic *Psalmus vaticinium de Messia* contineret? Nonne etiam *aduersarii eius silentio suo testantur*, *nonnullos saltem doctorum suorum hunc Psalmum de Messia interpretari*? Quae cum ita sint, non possumus non totum hunc *Psalmum* proprio ac nativo suo sensu de *Messia* accipere. *Comparationem* auctor eius instituit *Messiae cum Melchisedeco*. Quem iam in *Mosis de Melchisedeco historia Christi typum* fuisse, non quidem negabimus; sed id temere adserentes suo sensu abundare facile patimur. Attamen cum scriptor facer hac de re nos in dubio relinquat; nos adfirmare non audemus. *Paulus igitur Psalmum CX. in Messiam non adplicat, sed de illo vere explicat*; & caussas nobis ostendit, cur cum *Melchisedeco* potius, quam *Aharone pontifice, comparandus sit Mesias. c)*

*bb) Matth. XXII, 41-46.*

§. VI.

*c) Ebr. V, 6. 10. II. VI, 20. VII, 1-21.*

C

## §. VI.

Psalmi

CX. per ad manus nostras  
Judaeos explica-  
tio.*Judaei cum veteres tum recentiores, quorum**hunc Psalmum CX. vel de Abrahamo vel Davide interpretantur.**De Abrahamo Talmud cc)*

אנו רבי זכריה משומם רבי ישמעאל, ב' ביקש הקב' ביה להוציא כהוניה שם שנאמר והוא כהן לאל עליון כיון שהקדיש ברכת אברהム לברכות המקומן הוציאו מאברהם שנאמר ויברכו ויאמר ברוך אברהム לאל עליון כונה שמים הארץ וברוך אל עליון אמר לו אברהם וכי מקודמיין ברכת עבר לברכות קונו מיד נתנה לאברהם שנאמר נאם ה' לארון שב לימיינו עד אשית אובך רוחם לרגליך יכתריה כתיב נשבע ה' ולא ינחים אתה כהן לעולם על רברתי מלכיזדק על ריבورو של מלכי ערך והיוינו רכתיב והוא כהן לאל עליון הוא כהן ואין זרעו כהן :

„Dixit Rabbi Zacharias, sequentem in modum docuisse „Rabbi Ismaëlem. Voluit Deus ter optimus maximus suscitare sacerdotium ex Semo. Quoniam dicitur (Gen. „XIV. 18.) Ille vero erat pontifex summi numinis. „Quoniam vero Abrahami laudes summi numinis laudibus „praeposuit; ex Abrahamo id suscitauit. Quippe ita dicitur: (Gen. XIV. 19.) Et benedixit illi, dixitque: „Faueat Abrahamo sumnum numen, quod caeli & „terrae dominus est. Concelebratumque sit sumnum „numen. Tum Abraham: Aequumne vero est, serui laudibus heri eius praeponere? Subito igitur Abrahamo datum (sacerdotium) est. Quemadmodum dicitur (Ps. „CX, 1:) Dixit Deus domino meo: confide ad dextram meam, donec hostes tuos scabellum pedum tuorum posuerim. Et dein (v. 4.) sequitur: „Juravit Deus, neque poenitebit eum. Tu facerdos eris

. cf ) Nedarim, fol. 32, 2.

„eris in perpetuum, al dibhrathi Malchisedek, (hoc „est) propter verba Melchisedeci. Et hoc id ipsum est, quod „scriptum legimus, (Gen. XIV. 18.) Ille vero pontifex erat summi numinis. ILLE sacerdos erat: non vero posteri eius sacerdotes fuerunt., in quam sententiam & Isaacides d) ire videtur. Quippe putant, 1.) hoc facere ad soluendum dubium, cur auctor illum, de quo in Psalmo loquitur, dominum suum adpellet; siquidem Abrahamus a quolibet posteriorum suorum hoc nomine iure meritoque sit insigniendus. 2.) Credunt vero, Psalmum loqui de victoria Abrahami de Syria regibus reportata. 3.) Melchisedecum denique non typum Abrahami in summi pontificis dignitate, sed hunc illius in hoc munere successorem constituunt. Contra ea de Dauide in hoc Psalmo agi contendit Paraphrasles Chaldaeus, cui & Aben Esra e) calculum adiicit. Idque ea de causa, quod Zionis in Psalmo facta sit mentio. Eamdem explicationem & Isaacides priori subiungit, quo lector habeat, quam eligere possit. Aben Esra igitur statuit, 1.) hunc Psalmum ab alio quodam in Dauidem esse compositum; quem ut regem suum iure meritoque nomine יְהוָה, domini sui, condecorauerit. 2.) Porro Psalmum loqui contendunt, de regno a Saule ad Dauidem translato. 3.) Observuant, הַנּוּ non sacerdotem solum, sed regem etiam, significare.

### §. VII.

De huius igitur Psalmi sensu & scopo ipsos inter Verior  
Judaeos parum conuenire, ex iis, quae modo dixi-  
mus, explicatio.

d) Commentar. in Ps. CX.

e) Commentar. in Ps. CX.

rus, in aprico est positum. Licet vero hae explicationes haud parum prae se ferre antiquitatis videantur, ferunt autem propter Rabbi Ismaëlem & Paraphrasin Jonathanis ; non tamen inde euincere poteris , *Judeorum multos tempore Christi hunc Psalmum de Messia* non esse interpretatos. Nonne Rabbi Ismaël seculo a Christo secundo demum floruit ? ff) At Jonatban circa Christi tempora paraphrasin suam conscripsit. g) Hoc largiamur. Num vero inde sequitur, doctores sui temporis omnes hunc Psalmum cum ipso de Davide accepisse ? Sed quid ad nos istae Judeorum explicationes ! Id nobis negotii credimus potius dari, vt alia, quae cum primi auctoris , de quo Christus & Paulus certiores nos faciunt, scopo magis consentiat, interpretatio in medium a nobis proferatur. En! tibi illam ! v. 1. CANTICVM DAVIDIS EFFATVM DEI AD DOMINVM MEVM, Messiam , hoc est. CONSIDE AD DEXTRAM MEAM. Qui ad sortem humanam , imo non felicissimi serui depresso fuisti ; ad maiestatem tuam diuinam , vt ecclesiae caput & dominus , iam reuertere. DONEC HOSTES TUOS SCABELLVM PEDVM TVORVM PONAM. Quod quidem ante tuum ex terris abitum non fiet. Dein vero seueram in Iudeos , pessimos tuos hostes, vindictam exercebo. Ceterosque tuos inimicos, suo quenique tempore , debellabo. v. 2. SCEPTRVM POTENTIAE TVAE DEVS EX ZIONE EMITTET. Diuini tui legati Hierosolymis docere incipient; vnde ad exteror pergent: doctrina sua permultos sanctissimi tui regni ciues facturi.

IMPE-

f) vid. Deuenerandi Praefidis mei Ant. Ebr. Sect. VI. §.

1358. p. 719.

g) ibid. §. 1326. p. 706.

IMPERA INTER HOSTES Tvos. Euangelii doctrinam, non obstantibus inimicis Iudeorum moliminibus, longe lateque dilatabunt. Multos, qui tui *antea & veritatis* fuerant *inimici, morigeros sanctissimi tui regni facient ciues.* v. 3. POPVLVS TVVS, QVI SVA SPONTE tua regis castra sequentur, TEMPORE MILITIAE TVAE, SANCTA CVM MAIESTATE FACIENDAE, VELVTI EX VTERO AVRORAE prodibunt. Diuini hi tui *legati*, qui ad te Messiam recipiendum faciles erunt, & quos calamitates per Iudeos *tibi inferendae a tui amore non auertent, ecclesiae christianaee primitiae* erunt, primique illius tuis auspiciis doctores. Bella enim non armis sed salutari tua doctrina, geres; vesanam phariseorum & gentilium superstitionem incredulitatemque oppugnaturus. TIBI ERIT ROS IVVENTVTIS TVAE. *Apostrophe* ad Apostolos. Tibi, o Messiae popule. Vobis pientissimis Christi legatis. Moses b) doctrinam suam cum rore comparut: חֹל כֶּל אַמְרָחִי, stillet instar roris sermo meus. Ros iuuentutis, id est, doctrina, qua Israëliticus populus in instantia sua id est, in primis gentis exordiis, imbutus fuerat. Quam primam gentis originem descripturus Hoseas i) dicit: בַּי נָעַר יִשְׂרָאֵל, cum infans esset Israël. Hanc veterem illibatam & diuinam Mosis & prophetarum doctrinam vos, Christi legati reuocabitis. v. 4. Quaenam vero illa est? IVRAVIT DEVS; NEQVE POENITEBIT EVM. Sanctissime primis iam parentibus promisit; quam non reuocandam promissionem per Prophetas saepius repetiit. TE, Messiam,

b) Deut. XXXII, 2.

i) Hos. XI, 1.

siam, PONTIFICEM FUTVRVM ESSE IN SECVL A. Messias, per illum restauranda salus, fides, virtutis studium, Mosis & prophetarum doctrinae summa fuerunt. Isque *summus pontifex erit ecclesiae christianaæ, dum orbis stabit duraturæ.* AD RATIONEM MELCHISEDECI. Summi numinis *pontifex erat Melchisedek inter gentiles.* Quem ex animalibus victimas obtulisse non legimus; *carmina autem in summi numinis honorem, quae salutarem hominibus doctrinam spirarent, cecinisse relatum legimus.* Par Christi ratio erit. Nullum Iudeorum & gentilium faciet discriminem. Abrogatoque umbratico Iudeorum cultu, suis fidem & caritatem vnicē commendabit. Cetera Paulus habet. v. 5. DOMINVS AD DEXTRAM TVAM STABIT. Noli timere, caulae Christi exigue grex. Deo & Christo, aduersus Iudeorum ceterorumque hostium molimina, ducibus vtemini. PERCVTIET DIE IRAE SVAE REGES. In reipublicae Iudaicae per Titum Vespasianum excidio, improbos Iudeorum duces zelotasque fundet supplicioque addicet. v. 6. VINDICTAM SVMET DEVS A GENTIBVS, VT PLENVS caesorum CADAVERIBVS SIT, DVM CAPITA EORVM CONTERET, CAMPVS MAGNVS. In illa reipublicae Iudaicae clade, multa Iudeorum centena millia miserandum in modum peribunt. v. 7. DE TORRENTE IN VIA BIBET. Gentis Israéliticae *victorias* descripturus Bileam k) dicit, וְמִלְחָמָה יִשְׁתַּחֲוו, *sanguinem confessorum bibet.* Sic in istis Iudeorum stragibus tam copiosus sanguis fluet, vt torrentium instar in fluvios & mare exitum quaerant, adeoque fluminum vndis fitim restinguere cupientes cum illis Iudaicum san-

k) Num. XXIII, 24.

*sanguinem haurire cogantur.* PROPTERA CAPVT EX-  
TOLLET. Iudaicis igitur persecutionibus liberata,  
laeta caput extollet *ecclesia Christiana*, & sub tutela  
diuinae mansuetudinis adquiescet.

### §. VIII.

Praemissis his, quae a nobis erant necessario Argu-  
mentum  
praemonenda, ad Pauli iam *Melchisedecum* nos accin-  
gimus, priorum  
Ante vero breve *septem priorum* epistolae ad Capitum  
*Ebraeos* capitum argumentum praemittere iuuabit. Epistolae  
ritatem religionis *Christianae* vir sanctus in ea ad *Ebrae-*  
os.  
demonstra-  
rus, docet: 1.) *Christum omnibus Prophetis esse mai-*  
*rem*, qui gentes quoque extraneas ad Dei ecclesiam  
adsciuerit; ipse Deus; qui morte sua peccata nostra  
expiauerit; & ecclesiae caput sit. I, 1 - 3. 2.) *Maio-*  
*rem esse ipsis angelis.* Quare illius quoque doctrina  
reuerentius fit habenda, quam lex Mosaica angelorum  
ministerio lata. I, 4 - 14. II, 1 - 13. 3.) *Maiores*  
esse *Mose*; doctrinamque eius & salutem ab eo spe-  
randam digniorem Mosaica. III, 1 - 19. IV, 1 - 13.  
4.) *Maiores Aharone;* pontificem *Melchisedeco similem*.  
IV, 14 - 16. V, 1 - 11. 5.) In parenthesi, *Christianorum*,  
ad quos scribit, *segnitem* in Christianismo pro-  
ficiendi *accusat*. Quos tamen *constantes mansuros spe-*  
*rat*. V, 12 - 14. VI, 1 - 20. 6.) Comparatur *Christus*  
pontifex cum *Melchisedeco* pontifice, huiusque *compa-*  
*rationis fundamentum exponitur VII, 1 - 28.*

### §. IX.

Duae potissimum Paulo sunt caussae, cur ad Psal-  
mi CX. auctoris imitationem, *Christum*, ut sumnum  
noui foederis pontificem, cum *Melchisedeco conferat*.  
I.) Ma-  
ratio.

Compa-  
rationis  
Messiae  
cum Mel-  
chisedeco

1.) Maximis enim *Melchisedecus super Abaronem* omnesque ex illius stirpe in pontificatu successores eminebat *praerogatiuis*. Quare fieri non poterat , quin Paulus Christum pontificem vere maximum, ad mortaliū quendam conferendum , nullo cum alio compararet, quam cum Melchisedeco. 2.) Nec minoris momenti caussam Paulo praebuit *Leuitici*, quam haec comparatio supponit, *cultus sacerdotiique abrogatio*. Quam futuram non solum validis contendit argumentis; sed per Psalmi CX. auctorem etiam praedictam iam esse ostendit.

### §. X.

Praeroga- *Septem* in primis a Paulo recensentur *Melchisedeci*  
tiuae *praerogatiuae*; quae non solum eximiae & praestantis-  
Melchi- simae, verum etiam ita comparatae sunt, vt earum  
sedeci. bene multae non possint, quin te in stuporem ra-  
piant. Vnde etiam factum nobis esse videatur, vt in-  
terpretes plerique, alii longius, alii propius a via  
Pauli regia declinarint. Quorum sententiis recen-  
fendis, vt immoremur, cum apud multos legi pos-  
sint, operae pretium non ducimus. Postulat po-  
tius instituti nostri ratio, vt, quae nobis circa hanc  
rem in mentem venerint, breuibus exponamus. At  
vero quo homines sumus, humani quidquam a no-  
bis non putamus alienum; adeoque fieri possit, vt &  
nos interdum rem acu non tangamus. Cuius tamen  
eo facilius a te, beneuole lectori, nos veniam spera-  
mus impetraturos, quo plus haec res difficultatis at-  
que laboris habeat. Quaenam vero sunt, quas  
*Melchisedeco* Paulus tribuit *praerogatiwas*? En! se-  
quentes! *Melchisedecum esse* 1.) *regem iustum*, 2.) *pa-*  
*cifcum*

ficum, 3.) sine patre, 4.) sine matre, 5.) sine genealogia, 6.) sine vitae principio & fine. 7.) Quod decimas ab Abrahamo acceperit, eique benedixerit. Quas autem praerogatiuas, non Melchisedeci, sed, qui cum illo comparatur, Christi caussa, Paulus commemorat. At non disertis verbis Christo eas omnes tribuit. Id Judaeorum more lectorum permittit iudicio ; benedatus, cuique intellectu facillimum futurum, easdem se Christo, cuius caussam agat, quas Melchisedeo, praerogatiuas tribuere.

## §. XI.

Jam nunc rei cardo in eo vertetur, vt de prae-<sup>1)</sup> Mel-  
rogatiuarum Melchisedeci qualibet sigillatim loqua-<sup>chisede-</sup>  
mur. Quarum prima latet in verbis Pauli : πρωτον iustitiae  
μὲν ἐρμηνεύμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, cuius nomen regem Ebr. VII,  
iustum sonat. Judaeos nomen מֶלֶךְ per regem iu-<sup>2).</sup>  
stiae, vel urbis, quam iustitia incolat, interpretari,  
iam supra [§. 3.] memorauimus. Quorum ad imita-  
tionem Paulus quoque ἐρμηνευεται, id est, hoc nomen  
per regem iustum reddit. Superuacaneum tere est, vt  
moneamus, duo substantiua βασιλεὺς δικαιοσύνης rex  
iustiae, loco substantiui cum adiectuo βασιλεὺς δि-  
kaios, rex iustus, hic esse posita. Cum nemo, lin-  
guae ebreae cognitione vel leuiter tintus, sit, qui  
id nesciat. Quid vero sibi vult haec Pauli compa-  
ratio? Certe, nullum alium in finein eam adfert, nisi  
vt lectores suos conuincat, Christum esse verum illud  
prius τοῦ, germen iustum ex stirpe Dauidis prodi-  
rum,

D

rum, l) & יְהִי צַדְקָתֵנוּ, *Deum iustitiae nostrae.* m) Ille-ne iustissimus & tam innocens erat, vt ne ipsi quidem eius hostes peccati vel minimi leuissimique illum arguere possent? Illene apud Deum fidelibus innocentiam restituit? Illene efficit, vt homines sive-lint possint, nil conscire sibi nulla pallescere culpa? Illene etiam est, qui non nisi iustos regni sui adsciscit ciues? Quae cum ita sint, intellectu facile est, neminem esse, qui regis principisque iusti nomine maior, quam Christus, iure sit insigniendus.

### §. XII.

<sup>z)</sup> Rex  
Salemi,  
v. z.

Secundam Melchisedeci priorogatiuam descrip-turus Paulus, dicit: ἐπειτα καὶ βασιλεὺς Σαλήμ· ὁ ἐγενέντα βασιλεὺς εἰρήνης, porro etiam rex fuit Salemi, id est, rex pacis. Num Pauli iam tempore Judaei verba מֶלֶךְ, per *regem perfectum* reddiderint, ex iisque effecerint, Melchisedecum circumcisum esse natum, nostrum non est definire. Hoc vero obseruamus, huic similem, quodam tamen modo diuersam, illo-rum verborum dare explicationem Paulum, per *re-gem pacis*, id est, pacificum pacisque amantissimum, ea interpretantem. n) Hoccine vero de *Melchisedeco* vere dicere poterat Paulus? Potest omnino. *De re-cuperata enim pace* mirandum in modum gauisus Mel-chisedecus, Abrahamo, eius auctori, eam gratula-tur, Deoque grates pio animo persoluit maximas. At vero longe *altiori de Christo* praedicari potest sensu, eum esse regem pacificum. Hic enim verus ille

רֹשֶׁם

l) Jerem. XXIII, 5. XXXIII, 15.

m) Jerem. XXIII, 6. XXXIII, 16.

n) Βασιλέα εἰρήνης & ἱγεινόντα εἰρήνης Melchisedecum sa-lutat *Philo*, lib. 2. Allegoriarum Legis p. 75.

שֶׁרְשָׁלִים, id est, *princeps pacis* o) est, per quem humano generi reconliata Dei beneuolentia, & inter homines confirmata pax est. At *Christus ipse contradicere* videatur, dicendo: *se non venisse, vt pacem adferat, sed gladium.* p) Sed salua res est, si modo Christi verba recte explicitur. Quid ergo sibi ista volunt? Christus iis tantummodo praedicit, *ad seclas suos hac in vita fatis*, qualia a suae opinionis Messia sperarent, iucundis, non esse beundos; sed *dirissimas ab hostibus iniurias vexationesque experturos*. Quantus enim in eo fuerit Christus, vt pacem fidelibus restitueret, ex ipsis eius, suos de morte sua, cui iam erat vicinus, consolaturi verbis, perspicies: *Pacem inquit, relinquo vobis, pacem meam do vobis.* q)

### §. Xlll.

Jam Melchisedeci sequuntur *praerogatiuae*, qui- 3) Ἀπάξια buscum ita comparatum est, vt, si eas *simpliciter* in- τωπ. Τ. 3. terpreteris, *mortalium*, *prueter primos generis humani parentes*, nulli, tribui possint. Attamen Melchisedeco tribuit Paulus; cuius omni exceptione maius testimonium est. Videamus, quo id sensu faciat. Horum primum est, quod in praedicatis per Paulum Melchisedeco tributis tertium locum occupat, quod fuerit ἀπάτωψ sine patre. Alio quidem tempore nobis in mentem venit, Paulum hoc Melchisedeco propter eius, qua pontificis, originem tribuere; puta, quod bae-

o) Ec. IX, 5.

p) Matth. X, 34.

q) Io. XIV, 27.

*haereditaria illi haec dignitas non esset*, vel quod pater eius summi pontificis munere non ornatus fuerit, id ei impedimento non fuisse, quo minus ipse hanc dignitatem obtineret. Ideoque Paulum ostendere velle, Christo quoque aditum ad eumdem honorem non fuisse interclusum, per id, quod non ab Aharone, sed Dauide, stirpem duceret. r) Num vero negare poteris, Melchisedeci patrem summo sacerdotio functum fuisse? Hoc si dicere voluisset Paulus, vt, tamquam rem minus verosimilem, vel faltem omnibus incognitam, probaret, ipsi incubuisse censemus. Quodsi igitur rem paulo attentius consideraueris; intelliges id a Paulo quam maxime esse alienum, vt quasdam *a Melchisedeco imperfectiones dimoueuit*. Imperf ectio enim in illo esset, si eiusmodi maioribus, qui sumni pontificatus dignitatem aliis concedere debuissent, fuisse ortus. Quis non videt, hoc Paulum agere, vt *Melchisedeci praerogatiwas* ad vnam omnes recenseat. Quas inter primum fere locum obtinet, quod *ἀπάτωρ*, id est, *sine patre* fuerit? At vero itorum temporum hominem, qui patrem omnino non agnouisset, prorsus ignoramus. Pauli igitur verba de viro interpretari cogimur, qui tum temporis, cum Abraham bene precaretur, *vium non amplius veneratus sit patrem.* s) At quanti haec

r) Ad hanc fere sententiam cel. *Christianus Schoettgenius* inclinat. vid. Horas eius Hebraicas ad Ebr. VII.

s) Ita quoque *Andream Willetum* in suis Hexaplis in Genesim sentire nos docet *Jacques Saurin* in *Discours historiques, critiques, theologiques & moraux sur le Vieux & Nouveau Testament*. Tom. I. Disc. 13. p. 96. edit. Hagae Com. 1727. fol.

haec praerogatiua momenti est? Certe maximi! Patriarcharum enim temporibus, quilibet in familia sua sacra administrabat. Sacerdotum igitur munere simul functi sunt plures; ita tamen, ut patri *vel proauis superstitibus summi pontificatus honorem concedere deberent filius vel nepotes.* Quod si igitur pater Melchisedeci adhuc inter viuos fuisset numeratus; hic quidem sacerdos fuisset, sed patre inferior. Magnum igitur ad augendam Melchisedeci dignitatem attulit cumulum, quod patre iam erat destitutus, ipse pontifex maximus. *Semi patrem tum temporis diem iam obiisse supremum*, supra (§. 4.) demonstrauimus. Sed a Melchisedeco ad Christum venimus. De quo non certi temporis tantummodo respectu, sed simpliciter dici potest, quod sit ἀπάτωρ, sine patre. Christus enim homo patrem prorsus non agnoscit.

#### §. XIV.

*Matrem non magis, quam patrem, Paulus con-* 4) *Apóstolus ad Corin-*  
*cedit Melchisedeco; quae praerogatiuarum eius quar-* <sup>ταῦτα. v. 3.</sup>  
*ta est. Cur vero matrem ei abiudicat? Docet nos*  
*lex Mosaica, Israëlitarum sacerdotibus non licuisse, multo*  
*vero minus summo pontifici, ut quaslibet sine discrimine*  
*ducerent uxores. Qui autem ab eiusmodi, qua sacer-*  
*dotibus, pontificique maximo interdictum erat,*  
*uxore, editus esset filius, is ad sacerdotalem & pontificalem*  
*dignitatem erat ineptus.* t) Hoc quondam in causa  
*fuit, ut crederemus, Paulum dicere, Melchisedecum,*  
*summi pontificis honore non priuasse id, quod illegi-*  
*tima*

t) Leuit. XXI, 7. 13. 15.

*tima natus matre fuisse. Postquam vero intelleximus, Paulum hic non nisi praerogatiwas de Melchisedeco praedicare ; hanc proscriptissimus sententiam. Licet patriarcharum tempore non magis, quam postea apud Judaeos, feminae ad sacerdotii & summi pontificatus honorem euectae videantur ; attamen Melchisedecus, si eo tempore, quo bene Abrahamo fuit precatus, matri adhuc adsurrexisset, venerationis illi praeftandae legi, non quidem ut pontifex, attamen ut filius, fuisse obnoxius. Nulla enim tanta dignitas est, quae liberos reuerentiae parentibus dehitae officio כבוד אב ואמ liberet. Quodsi igitur Melchisedeci mater quoque iam fatis fuit functa, ille nec patrem nec matrem agnouit superiores. Semi matrem eo tempore, quo pater de vita iam dudum decesserat, superstitem non fuisse, facile credas. Ad Christum vero quod attinet, cuius caussa haecce commemorantur a Paulo ; ille quidem Mariam matrem ea, qua filium decet, reuerentia est prosecutus. Illa tamen, ut Deus, multo fuit maior ; A patre enim ab aeterno genitus matrem non agnoscit.*

### §. XV.

**§ ) Ἀγε  
νεαλόγητος. 3.** Praerogatiuarum Melchisedeci quinta in eo consistit, quod fuerit ἀγενεαλόγητος, sine genealogia. Id quod de genealogia *adscendente & collaterali*, non *descendente*, interpretamur. Iam persuasi, praerogatiwas Melchisedeci occupatum tantummodo habere Paulum, pristinae nostrae coniecturae locum non amplius, relinquimus, quod Paulus hoc praedicato intenderit, Melchisedeci proauorum summi pontificis munere functum fuisse nullum. Quaenam igitur illa praerogatiua est, quam nunc Melchisedeco tribuit Pau-

Paulus? Paulus negat, *vllum Melchisedeci proauorum in vita adhuc fuisse*, qui cum eo de hac dignitate contendere potuisset. Quod si enim vel patre eius mortuo, quisquam proauorum adhuc fuisset superstes, illi non poterat non cedere Melchisedecus in summi pontificatus dignitate. Negat quoque *in Melchisedeci fratribus & cognatis vllum fuisse*, qui hanc ipsi dignitatem reddere potuisset dubiam. Proauorum *Sem* tum temporis, cum bene Abrahamo precaretur, vitam adhuc egisse neminem, ex eo in aprico est positum, quod *proauos eius iam ante diluvium supremus dies occupauerat omnes*. Longe vero *fratribus per Patrem praelatum esse Semum supra (§. 4.)* vidimus. Quae praestantissima Melchisedeci *prae Aharone praerogatiua* est. Silentio praeterimus, regiam, qua Melchisedecus superbiebat, dignitatem Aharonem numquam fuisse consecutum. *Num parentes Aharonis, illo ad summi pontificis munus perueniente, in viuis adhuc fuerint, non inquirimus*; cum nos id frustra facturos credamus. Attamen nos *recte negaturos confidimus*, eum fuisse ἀγεναλόγητον, sine genealogia. Namque ex cognatis eius superstes fuit quidam, quo se inferiorem esse negare non potuit. Nonne *Mosem fratrem*, populi principem summus pontifex quoque ut eum, qui summi pontificis in se contulisset dignitatem, *superiorem*, quam diu viueret, *agnoscere obstrictus* fuit? Aharoni autem superuixit Moses. Sed mittimus hos; & consideramus, altiori sensu *Christum iure meritoque dici ἀγεναλόγητον, sine genealogia*; qui *sui similes, proauos non habet et*. Cuius si vel proauoi ab Adamo in viuis adhuc fuissent omnes; illis tamen infinites maior fuisset Christus. Quod dubium & ipse

ipse suis, diuinitatem suam non agnoscētibus, aduer-  
fariis opponit. Cum vero, inquit David eum suum do-  
minum adpellet, quomodo illius filius est? u)

### §. XVI.

7) Aeter-  
nus, v. 3.

Melchisedeci Praerogatiuarum sequitur sexta; qua, aeternitatem Melchisedeco tribuere videatur Paulus. Dicit enim, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, nec principium dierum nec vitae finem habens. Hoc de solo Deo, mortalium nemine, dici posse, omnibus pro percepto liquet. At Melchisedeco id tribuit Paulus. Nostrum igitur erit, vt, quo iure & quo sensu hoc a Paulo fiat, ostendamus. Vnicuique prudenti scriptori hoc debemus, vt ita verba eius accipiamus, ne eum mendacii vel absurdī temere faciamus reum. Multo vero magis nobis incumbit, vt eam suspicionem, quod aliquid dixerit, quod cum veritate non satis conciliari possit, a Paulo, viro diuinatus adspirato, dimoveamus omnem. Quod hoc quoque loco nos facili negotio facturos speramus, si eum id quod de Melchisedeco praedicat, *relatiue*, & ceterorum *Melchisedeci aetatis hominum respectu*, dixisse adfirmemus. Est hoc in illis Melchisedeci praedicatis, quod ad *Semum* aperte digitum intendere videatur. Sane ceterorum hominum neminem producere poteris, cui id aequa tribui posse docere queas. Quam diu fratres eius vixerint haud facile quidem definitur. Semum autem vitam usque ad 502 post diluvium, id est, ad 150 Abrahāmi annum propagasse, genuina Chronologia docet. Hominum Abrahamo aequalium nemo illius viderat natales. Lucem adspicerat semus in diuerso, si ita dicere liceat mundo, רַחֲםָן כְּלֹעֵד; in aeuo

u) Matth. XXII, 45.

aeuo ante magnum illud diluuium. Quod, si fratres eius, vti videatur mortui tum iam fuerunt, praeter Semum viderat nemo. Qua de cauſa Paulus dicit *μήτε ἀρχην ἡμερῶν ἔχων, principium dierum non habens;* puta in noua, quae tum currebat, temporis post diluuium periodo. Sed *nec post diluuium quemquam inuenies,* qui tam longaeuae, quam Semus, vitae duratione sit potitus. Omnes eius nepotes & pronepotes, quorum facta in monumentis sacris mentio est, ad Abrahamum vsque, ante illum obierunt; si solos Abrahamum & Eberum excipias; qui tamen longaeuitate illi pares nequaquam fuerunt. Cum Eber 460 quidem, Abrahamus 175 tantum annos, Semus autem *integra sex secula viuendo impleuerit.* *Pronepotum* igitur suorum cateruae, qui diu post ipsum venerant, totisque ante eum agminibus decedebant, plane *non moriturus videri poterat* venerandus hic senex. Quapropter Paulus dicit, *μήτε ζωῆς τέλος ἔχων vitae quoque finis expers;* puta, *ex illius aetatis hominum,* qui tam longaeuum praeter Semum viderant neminem, *sententia.* De Aharone hoc nulla ratione praedicari potest, quippe qui ad 123 tantummodo aetatis annum processit, & haud ultra 40 annos functus summi pontificis munere est. Quod vero non nisi respectiue de ipso Melchisedeco dici possit, eum esse aeternum; hoc tamen ei, propter comparationem cum Christo, absolute tribui posse, contendit Paulus. *Αφωμοιωμένος δὲ, inquit, τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ μέρει ιερεὺς εἰς τὸ διηνεκές.* Propter comparationem vero cum filio Dei summus in perpetuum manet pontifex. Licet Melchisedeco, vt nudo homini, non competit aeternitas; summi pontificatus eius tamen muneri competit: quo cum Christi Θεαρχόποιου pontifi-

E

cale

cale comparatur munus. Hic enim solus *pontifex* est *aeternus*. Hic Alpha & Omega. Hic principium dierum & vitae finem nullum habet.

### §. XVII.

8) Deci- Melchisedecus ob eximias suas praerogatiwas, qua-  
mas ab rum nulla sacerdotibus ex Aharonis stirpe compete-  
Abraha- bat, summis a Paulo laudibus elatus, Leuiticos sacer-  
mo acce- pit, eique dotes denique longe antecedit eo ipso, quod de ma-  
benedi- nubiis decimas accepit ab Abrahamo, atque huic benedixit.  
xit. v. 2. At quantus hic vir erat! Quo tamen multo maiorem  
4. 10. Melchisedecum fuisse ex dictis sequitur. Quatuor  
regum gloriosus *Abrahamus victor* fuit. *Melchisedecus*  
vero ille erat, cui maxima cum reuerentia *victoriae suae*  
*obferebat fructus*. *Leuiticis sacerdotibus* quidem decimas  
dabant *Israëlitae*, propterea quod *lege diuina* ad hanc  
rem erant *obstricti*. *Abrahamus* vero, nullo iussu di-  
vino, sed *sua sponte*, eas dedit *Melchisedeco*. *Suae* tan-  
tum *gentis sacerdotibus* decimas *Israëlitae* dederunt.  
*Abrahamus* vero non *suae* tantum, sed *plurimum gentium*,  
& fortasse *omnium*, quotquot tunc ibi locorum extin-  
terunt, piorum sumnum *pontificem* iis donauit. Si  
magna *Israëlitarum sacerdotum* *praerogatiua* in eo consti-  
tit, quod *bene suo populo dicerent*; eam tamen multum  
vicit *Melchisedecus* eo, quod totius eorum *gentis auctori*,  
*eximiis a summo numine promissionibus beato*, *bene*  
*est precatus*. Nonne in pertienda Abrahamo benedi-  
ctione in aprico posuit, se illo & toto ab eo oriundo  
*Israëlitarum* populo esse maiorem? Quid, quod  
*Isaaco*, a quo *Israëlitae* stirpem ducunt, *nondum nato*,  
*per Abrahamum* *Leuitae quoque Israëlitarumque sacerdo-*  
*tes decimas* *Melchisedeco* dederunt omnes. Ergone *Leui-*  
*tis*

tis populi que Judaici *maior* sacerdotibus fuit *Melchisedecus*, & qui cum illo comparatur *Messias*? Et hoc quidem erat id, quod Spiritum Sanctum comparatione Melchisedeci cum Messia, qui Aharonis posteris longe maior pontifex futurus esset, indicare voluisse, demonstratus erat Paulus.

### §. XVIII.

Ex hisce porro efficit Paulus, *sacerdotium legemque Leuiticam in novo foedere non posse non abrogari*. Quamnam vero ob causam? Certe ob grauissimam; puta, *quod hominibus eas, quas Deus a fidelibus & probis requirit, perfectiones impertire non poterat* Leuitica lex. Assertum autem suum, quod Judicum sacerdotium & lex Leuitica tolli debeant, duobus argumentis demonstrat. 1) Quod, cum stante lege Leuitica ad sacerdotium praeter Aharonis posteros nemo admitti debeat, Christus noui foederis summus secundum ordinem Melchisedeci pontifex natus ex Iudee tribu sit. 2) Quod in Psalmo CX. disertis verbis dicitur, *Messiam non secundum Aharonis, sed secundum Melchisedeci, ordinem noui foederis pontificem esse futurum*.

### §. XIX.

De hoc iam noui foederis summo pontifice, ipso *Melchisedeco* Messiae maiore, has Paulus praerogatiwas praedicat. 1) *Legem Leuiticam ad externos dumtaxat spectasse ritus; ideoque homines redere non potuisse perfectos; Christum vero expiatione sua, & salutari de fide & caritate doctrina, beatissimum nobis ad Deum aditum aperuisse.* 2) Deum solemni iure jurando adfirmantem, quod Messiae summus pontificatus sit conferendus, significasse, quanti momenti res & quam hominibus salutaris sit futura. Dicitur autem in Psalmo CX. 4. *Iurauit Deus, id quod frustra non fecit, te pontificem esse futurum ad modulum Melchisedeci.* 3) Sacerdotes ab Aharonis stirpe oriundos sacerdotio ad breue tantummodo tempus fungi, monet Paulus; Christum vero in omnem aeternitatem neque exuendum esse pontificatu, neque successorem esse habiturum. 4) *Christum non exiguae durationis*

E 2

tionis bonis homines beare; sed restitutam per eum *salutem esse aeternam.* 5) Non iisdem, quibus Israëlitarum sacerdotes, *imperfectionibus obnoxium esse* Messiam, Paulus contendit; Vti coelitibus maiorem, ita omnibus quoque longe sanctiorem esse atque perfectiorem, *nulla prorsus labe laborantem.* 6) Vti, praeter pontificale, regio quoque diadematè ornatus fuerit Melchisedecus; ita Christum ad dextram confidere Dei, summumque suae caput esse ecclesiae. 7) Aharon cum posteris suis pontificum munus obibant in tabernaculo & templo per homines exstructo; brutaque animalia Deo victimas caedebant. Vtrumque de Christo negat Paulus. Quem *ipso*s fideles & pios multo nobilius Deo templum consecraturum, obsequiosissimumque eorum animum pro victimis summo numini longe acceptioribus oblaturum contendit En! summum pontificem, Melchisedeco quam Leuitis similiorem; hoc tamen ipso infinites maiorem!

## §. XX.

**Epiłogus.** In illis iam versamur diebus, quibus Christiana gens piam per supremum huncce pontificem suo ipsius suppicio summo numini oblatae pretiosissimae victimae deuota mente recolit memoriam. Quid igitur aequa nobis incumbit, quam ut mentis nostrae sermonumque perpetuum misericors hic & infinitus Christi amor sit obiectum. Acceptissimas vero illi grates perfoluimus, si operam dederimus ut, quemadmodum ipse sanguis est, nos quoque simus sancti. Summo pontifici, magno suo expiatorio die munere suo perfuicto, dum eum domum solemnissime deducebant, grauissimos labores feliciter peractos gratulabantur Iudei. vv) At vero cuiusnam pontificis labores ad eos comparare poteris, quos Christus pontifex vere maximus subire non dubitauit, vitam pro nobis profundendo! Nostrumne igitur sit, ut debita cum pompa eum deducamus? Ita vero, ut ipsi placeat, nostro huic officio satisfaciemus, si sanctissimis eius vestigiis fideliter insistamus.

w) Ioma, fol. 71, 2.